UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ecclesiasticvm Directorivm Sempiternvm

Sanctes <Savinas>

Romae, 1603

Ill.mo Ac Rever.mo D. Domino Petro Aldobrandino. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Ampliss.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41934

Visual Library

ILL.^{MO} AC REVER.^{MO} D.

DOMINO PETRO

ALDOBRANDINO.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Ampliſſ.

F. Sanctes à Monte Sanſouino Eremita Auguſtinianus. S. P. D.

QVOD in rebus humanis accidere ſolet (Cardinalis Ampliſsime) ſut quæ recte inchoata ſunt, ſæpe in deterius uergant, id in libro hoc qui Eccleſiaſtici officij Ordinarium uulgo dicitur, eueniſſe ani-

maduertimus. Nam cum illum, ante annos ferè quatuordecim cum Gregorij Tertijdecimi feli. memo. Pontificis Maximi prouidentia Solaris annus eſt reſtitutus, ad eiuſdem reſtitutionis normam grauiſſimorum Patrum hortatu ipſiuſque Pontificis iuſſu, accommodaſſem, & ſi mendis aliquibus ob celeritatem editionis carere non potuit, haud omnino tamen infeliciter uiſus eſt prodiſſe. Prodijt enim cum eorundem Patrum, qui eum ſtudioſè inſpexerant, teſtimonio ac ſubſcriptione munitus, tum quod maximi faciendum eſt Pontificia, & Apoſtolica auctoritate cōprobatus. Ecce autem dum in eandem meſſem progrediente tempore, quilibet pro ſuo arbitratu falcem immittere audet, iterumq. atque iterum idem opus excuditur, nonis in dies ac deteriorib. repletur erra-

tis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ris, quantumq. à prima recedit originē, tātum de ſua integritate ac ueritate deperdit, ita prorſus vt iam è uetere illo liber alius effectus eſſe uideatur. Inuidiane, an imperitia, an deſidia, ſupinaque negligentia eorum hominum qui huiuſmodi prouinciam tentarunt id acciderit, haud ſanè ſtatuerim, Multa certè extremæ quæ circumferuntur editiones deprauata habent, multa temere immutata, peruersè poſita, perperam adiecta, iniuria expuncta atque ſublata. Hinc quantum damni conſequatur quis non intelligit? Etenim ſi qui liber rectè riteq. ſacro ordinando officio dux eſſe debet, is à uera uia aberret quid reſtat niſi ut quaſi cæco ducatum præſtante, omnes in foueam dilabamur? Quod quantum pijs mentibus perturbationis, quantum Eccleſiis ſcandali afferat dici uix poteſt.

Hæc ego cum cernerem, præterquam quod me primæui fętus mei tantoperè deformati miſeratio quædam tacita ſubijt, multo tamen magis ob communem Eccleſiaſtici ordinis utilitatem indolui, cui ut conſultum eßet, de eodem opere repurgando, iterumq. edendo ſæpius cogitaui. Sed res me nulla ita ad hoc approperandum, atq. ſummorum quorundam uirorũ, incendit auctoritas, qui pro eo quo flagrant rerum ſacrarum ſtudio, & propoſitum meum collaudarunt, & ut ad finem cogitata perducerem uehementer ſunt adhortati. Quin & hunc eũdẽ conatum meum cum optimo Principi Clementi Octauo gratum quoq. & acceptum fore dicerent, tantos ſtimulos ad id quod aggreſſus eram perficiendum addiderunt, ut ſi diutius diſtuliſſem, inexpiabili me ſcelere obligari exiſtima-

rem. Opus igitur imbecillo quidem,
& ob ingraueſcentem ætatem ſimul a-
nimo ſatisfaciente, quanta tamen fieri
potuit attentiſſima cura ac ſedulitate
perfectum, cui potius quam tibi Cardi
nalis Ampliſſime, deſerrem atque
dicarem habui neminem. Debentur ſa-
ne ingenio, pietati, dignitati (quæ om-
nia ſumma ſunt in te) maiora, & am-
pliora, ſed humanitas infra te poſita
non deſpicit, qua te præter cæteros ex-
cellere omnes norunt. Accipies igitur
hanc primam partem huius Ordinarij
ab homine tui ſtudioſiſſimo oblatam,
non ipſe quidem ut eo quaſi indigeas
utare qui maxima ſublimi mente com-
plexus, hæc minora exactiſſimè tenes,
ſed ut per ora perq. manus Sacerdo-
tum, & uirorum Eccleſiaſticorum
uolitaturus liber, tanto pronioribus

ſtudÿs atque animis excipiatur, quanto clariſsimi nominis tui ſplendore irradiatus, reddetur illuſtrior. Vale Dat. Romæ viÿ. Kalend. Decembris. M. D. XCIV.

SVM

PRiu
VI
ctoriu
nium i
nere
te aud
ſub po
& ami
diate
cto, a
tionis
nis. D
die 5.
no II

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN